BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Österreich, 12. Jh.
Seite 19r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26281
Copyright: Admont, Benediktinerstift



pontifex sis. Numquid quia summus pontifex. ideo summus.
Infimum noris esse. si summum putas. Quis summus. Cui addi non
possit. Grauiter erras. si te illum existimes. absit. non tu de illis
es. qui dignitates uirtutes putant. Tibi ante experta uirtus.
quam dignitas fuit. Augustis relinquo illam sententiam. ali
isque qui diuis coli honoribus non timuerunt. Verbi gratia.
Nabuchodonosor. alexandro. antiocho. herodi. Tu uero con
sidera. non consummatione summum te dici. sed comparatione.
Nec me putes comparationem dicere meritorum. sed ministeriorum.
Sic te existimet homo ut ministrum christi. et quod absque pre
iudicio sanctitatis cuius piam dixerim. summum plane inter mi
nistros. Alias niti te ad summum uelim. non putare summum.
aut uelle putari. ante quam sis. Nam quomodo proficis. si iam
sufficis tibi. Non sit proinde tibi. aut pigrum uestigare quid
desit. aut fateri quod desit. uerecundum. Loquere et tu uoce
antecessoris tui. non quod iam acceperim. aut iam perfectus sim.
Et rursus. Ego me non arbitror comprehendisse. Hec scien
tia sanctorum. hec longe ab illa que inflat. Hanc qui apponit. ap
ponit et dolorem. sed dolorem hunc nemo umquam sapiens sub
ter fugit. Est quippe medicinalis dolor. per quem stupor ille le
talis. animi duri et inpenitentis excluditur. et ideo sapi
ens qui dicere poterit. et dolor meus in conspectu meo
semper. Nunc iam repetende reliquie. sique sunt loci illius.
a quo paulo ante diuertimus. age. indagemus adhuc dili